



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

VII. Oppilatio triennis in hydropem effusa repente sanatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

illo exitu purgaret, quod cum esset audax, & lubricum, adhiberi secum peritissimum chirurgum voluit. Adfuit, puerum inspiciunt, vulnus nudant, ut undique explorent; vixque cicatrix leuissima comparet, sanati vulneris exile vestigium. Stupet chirurgus vulneris conscius; patat socius se delusum. Mater admodum læta, & alacris, doctioris Podalirij opus ait, sanatum ab S. Ignatio puerum; nam se audita ossis terebratione exterritam, ad eum confugisse, votum pro puero nuncupasse, altare illius nouem diebus adeundi ad agendas si eam concedere dignaretur sanationis obtentæ gratias.

Iacobum Mongiardinum Chiensem, quinque & viginti annorum iuuenem vehemens Febris lecto affixerat. Sed suppressa iam quinque diebus vrina ad extrema deduxit, cum ne violentis quidem remediis, mali pertinacia laxaretur; cum ergo tumore, delirio, aliisque lethalibus indicis terret medicos, chirurgus denique traditur ad aperiendas ferro vrinæ vias; at nec chirurgus suscipitur, nisi pro mortuo, & sanationis desperatæ, in qua fas esset artem experiri. Explicata iam erant ferramenta, & fasciæ, torusque carnificinæ apparatus, cum adest officij gratia, ægroto amicus è Societate Sacerdos, qui animæ primum iniectâ curâ, inde pro corpõris salute horratur, ut S. Ignatium inuocet, patet æger quam potest piissimè, hinc Pater beati eiusdem imaginem pectori admouet, atque hic illic obstructa natura tam subito discuti, ut præfestina lectum omnem, & cubiculum inundaret; ac paulo post non ab eo tantum, sed alio quouis morbo sanus confurgeret.

Magdalenam Talaueram oppilatio triennis in hydropem egerat, & tumor ex curibus tam graui pondere sensim viscera occuparat, ut gressum mouere vix posset, & insanabilem censerent medici. Ergo spebus humanis destituta, melioribus cepit confidere, eas omnes in S. Ignatij intercessione posuit qui eo anno, huius sæculi primo, Gandiæ ubi ea morabatur, magnis erat nobilitatus miraculis. Voto se obstringit quotidiana dum viueret orationis Dominicæ, & salutationis Mariæ recitatione S. Ignatium venerari, tum Sancti eiusdem imaginem pectori applicat, eoque mox salubri contactu se voti compotem perientit, detumescere enim aluus, paulatim humores transpirare, & euanescere, minus triduo iis exonerata, æquè sana, & habilis, ut ante morbum fuerat euasit.

Iacobus Tirijs, Patria Scotus, donis ab natura non vulgaribus cumulat ad Societatem venerat adolescens. Probatum de more in tirocinio, transcriptus est in Collegium Romanum literis operam daturus: illic dulci captum scientiæ poculo, pietatis colendæ deseruit sapor: tempus diuinis sacrum, examinandæ conscientiæ, lectioni sanctæ, locupletando ingenio totum dabat, quanto in dies scientia ditior, tanto pietatis egentior; neque illum prius sensus tetigit vllus contractæ ex eo imbecillitatis, quam eum vrgeret necessitas ad exerendas vires virtutis arduæ quibus pridem minui ceperat. Nam extra sæculum agenti, & irritamenta vitiorum, mediocris

VI.

*Secundus ob
suppressum
urinam re-
pente sanatur.*

VII.

*Oppilatio
triennis in
hydroem ef-
fusa repente
sanatur.*

VIII.

*Post mortem
ex sociis vi-
sendam se
probat.*